

*Prudentia*, derivant. Hæc enim derivatio licet rei conveniat, ad nomen tamen & ejus descriptionem minimè quadrat. Alii *Prudentem* quasi porro, i. e. *procul videntem* dici existimant. Grecis *Prudentia* dicitur  $\Phi\rho\nu\nu\sigma\iota\varsigma$  ὀνομα τῆς  $\Phi\rho\nu\omega\varsigma$  à mente s. intellectu, quia mentis vel maximum ornamentum, vel tutissimum adversus quosvis fortune a nocentis insultus est munimentum: hinc & ἡ  $\mu\upsilon\delta\alpha$  τῆς  $\Psi\omega\chi\eta\varsigma$  dicitur. Ebraeis venit nomine  $\text{חָכְמָה}$  à radice  $\text{חָכַן}$  intelligere, itidem ab intellectu, in quo residet, quemque perficit & exornat. Dicitur iisdem etiam  $\text{חָכְמָה}$  à radice  $\text{חָכַן}$  secundatus fuit, fortean hoc nomine, quia res prudenter ceptæ feliciter succedunt. Et hæc de notatione *Prudentiæ*, nunc ad *Homonymiam* procedamus necesse est.

§. 4.

Hæc autem latissimè patet. 1.) enim vox *Prudentiæ* accipitur pro omnium scientiarum complexu, ita ut ambitu suo & Metaphysicam & Physicam complectatur, i. Met. II. ἡ  $\tau\omega\iota\alpha\tau\eta$   $\Phi\rho\nu\nu\sigma\iota\varsigma$  ἡ  $\rho\acute{\epsilon}\xi\alpha\tau\omicron$   $\zeta\eta\lambda\epsilon\iota\sigma\tau\alpha\iota$ , hujusmodi *Prudentia* quaeritur cepta est. 2.) pro peculiari disciplinâ, ut: si Ethica, si Politica dicatur *Prudentia*. 3.) pro *Prudentia divinâ*, quæ omnis imperfectionis experta est, soli que Deo in gradu eminenti competit. 4.) pro naturali solertiâ, sagacitate, & circumspectione quâ bruta animantia ea quoque faciunt, quæ vir prudens alias facere consuevit, e. g. apes singulari curâ & industria favum conficiunt, Regisque ductum sequuntur; formica quasi ex providâ curâ æstivis mensibus grana colligunt, ne brumali tempore egere illas oporteat; ciconia & hirundines æstate Phœboque viciniore nobiscum habitant, at verò tristi appetente hyeme in terras alio sole calentes emigrant. Hinc *Servator* etiam *Serpentum prudentiam*, & *Ebraeus Sapiens* formicarum industriam ad imitationem nobis proponunt, *Marc. 10 v. 16. Prov. 6. v. 6.* Verum enimverò hæc minùs propriè *prudentia* est, & umbra potius *Prudentiæ*, quam ipsa *Prudentia* dicenda venit. 5.) *Prudentiæ* usurpatur pro prudenciâ humana, quæ vel spe & semine, vel habitu & formâ *prudentiæ* dicitur. Spe & semine prudētes dicuntur pueri, cum per naturam insignem aliquando prudentiam minitantur Cujus *Prudentiæ Philosophus* l. 6. *Eth.* c. 3. mentionem facit: ho-